


DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

FEBRE TYPHOIDEA.



DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

FEBRE TYPHOIDEA,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

HENRICUS BOWLES,

ANGLUS,

Soc. Reg Med. Ed. Praes. Ann.

Soc. R. P. Ed. Sod. Ext.

Nec non

Soc. Chir. Obstet. Ed. olim P. A.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,XC.

CORRIGENDA.

Pag. 3. ad imum, *post* adeo *insere* non
4. l. 5. *pro* ipsum *lege* ipsam
ib. 9. *pro* doctrinae *lege* doctrina
ib. ad imum, *pro* egregius *lege* egregio
6. l. 8. *pro* stipata *lege* stipatae
ib. 9. *pro* discreti *lege* discretae
12. 8. *pro* hos *lege* has

Quae supersunt benevolo corrigantur lectore.

Amico ſuo colendiſſimo,

EDVARDO ASH,

Apud Oxon. M. A.

Soc. Reg. Med. Ed. Soc. Ext.

Et

Praeſidi nuper digniſſimo, &c. &c.

Cujus

Summum ingenii acumen,

Bonarumque literarum cognitionem,

Cuncti admirantur;

Cujus

Comitas bonitaſque

Ab omnibus ei notis,

Sed praeſertim amicis, praedicantur;

In memoriam ſempiternam dierum, una ſecum jucundiſſime,

Nec ſine fructu,

Peractorum,

Has ſtudiorum primitias

Sacras eſſe vult

AUCTOR.

Ce n'est pas en diminuant ni en epaissant les humeurs, ni en exaltant ou absorbant les parties sulphureuses, ni en liant les fluides nerveux, que l'opium fait dormir, mais c'est en diminuant l'irritabilité.—*Haller sur les Part. Sens. et Irrit. Tom. I.*

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

FEBRE TYPHOIDEA.

PROŒMIUM.

SALUTIFERA medicinae ars, apud omnes quam incerta fuit habita. Sed medici nihilominus, ex tempore quo egregia prodierunt illuſtriſſimi Culleni opera, magis ſibi conſtare, et inter ſe conſentire magis ſolito videntur, etſi quam graviſſimae adhuc quaeſtiones et difficillimae manent ſolvendae.

Quanquam enim pathologiae humoralis difficultatibus vix diutius pugnandum, minus tamen certum eſt an irritabilitas proprium ſit fibrae muſculari principium, an ab ipſis derivatum nervis [a].

[a] Vide Whytt, Monro, De Haen, Haller, de hac quaeſtione.

Si nervos quasi appendices in perfectioribus animalibus, ea fine ut sensatione et volitione utantur, quibus contractio muscularis et motus perficiuntur, respicimus; quid obstat quo minus ultimum vitae principium[a], (tam vegetabilibus quam animalibus), idem esse, et similiter quoque affici, tam vi nervea, quam alia vi stimulante, censeamus?

Quicquid demum sit natura nervosae potestatis, analogia tamen suadet, eam ab aliis stimulis haud ita discrepare, ac hi ipsi stimuli inter se. Rebus igitur sic sese habentibus, annon dicere liceat, qua ratione agunt electricitas, vinum, venena, eadem prorsus agere, iram, gaudium, nervorum laesiones, &c. Nam ultimus omnium effectus, modo satis sint magni, non valde diversi esse videntur.

Utcunque vero res sit, (dicente clarissimo Batie, de Principibus Animalibus), ratiocinatio tamen medicorum magis in hac re speciosa est quam sana; nequit enim eadem causa, eodem tempore et efficiens et excitans esse. 'Quin et arteriae,' inquit,

'et

[a] Vide Med. Comment. pro anno proxime elapso, ubi hanc opinionem, nec sine fructu, me judice, stabilire conatus est Joannes Gahagan. Vide quoque Transf Philos chartulam ubi eandem sententiam amplectitur Dr Fordyce. Vide etiam Dissertat. Acad. de Plantarum Irritabilitate autore Mr Coulon.

'et nervi ipfius ligatura paralytica, fluida quaeque mufcularia, 'an arteriofa an nervea illa fuerint, motibus animalibus officere 'potius quam pro ipforum caufa materiali habenda effe, mon- 'ftrat.'

Eandem quoque fententiam amplexus eft Cl. Blumenbach, 'Ipfae autem,' inquit, 'nervorum fummae partes quibus, uti- 'que in mufculos agere notiffimum eft, eo potius redire viden- 'tur, ut tanquam remotiores five excitantes motus mufculares 'caufae confiderari poffint, minime vero cum proxima confundi 'debeant, quae fola ac unica infita mufculofae carni irritabilitas 'erit [a].'

Donec vero haec componuntur lites omnis neceffe eft doctrina imperfecta fit et mutabilis. Quamdiu vero litigatur, mihi tamen fas fit, in illam interim abire fententiam, quae, meo faltem judicio, probabilior effe videatur [b]. Interea autem fatendum eft, nervoforum nomen morborum adeo longe nuper in ufum increbuiffe, fed prorfus adeo intellectum effe, ut vix morbus, aliquo modo obfcurus, quin hoc nomine infignitus fuerit: Quot genera videlicet morborum, (non agitur de Nofologia), huc referuntur,

[a] Inft. Phyfiol. p. 245. de Motu Mufculari.

[b] Vide M'Intofhi Differt. Inaug.

feruntur, et quanta doctrinae confusio ex incertis, vel forsan praejudicatis nervorum, eorumque abditorum officiorum, notionibus, oritur?

At quantum iisdem prematur vel aliis difficultatibus doctrina muscularis, (quae morbos et ipsum ponit sanitatem in fibra musculari vel ejus irritabilitate, et nervos pro causis tantum habet remotis, actionis musculorum), experientia simul et attentio in posterum docebunt. Quomodocunque autem res sese habeant, minime negandum quin doctrinae tali nitens principio simplicior sit, et rebus forsan ipsis magis consentanea [a].

Quum enim morbos tot varios, tamque indolis, ut existimantur, diversae, uno saepe eodemque remedio, sublatos esse videmus, annon colligere licet eos omnes, haud ita indole suo ac aspectu, inter se discrepare? Sed causam potius quandam communem [b], (irritabilitatem videlicet auctam vel minutam) vel principium

[a] Clarior hujus doctrinae expositio mox in lucem prodibit, autore Edvardo Ash, qui scientiarum bonarumque literarum simul decus atque princeps ornamentum est. Egregius hocce opusculo tam leges quam origo principii vitalis, summo mentis acumine, persequuntur, et in rem late physiologicam, pathologicamque, nec infeliciter me judice exponendum applicantur.——MS.

[b] Vide Falconer on the Bath waters, et passim auctores de aliarum efficacia Thermarum. Vide etiam Cadogan on the gout.

principium quoddam commune pro caufa agnofcere [a] ? Maxima quoad hanc doctrinam difficultas ad ea quae fequuntur plerumque fpectare videtur, quod experimenta videlicet et obfervationes vix adeo numerofae aut ftabiles fatis funt, ut principium noftrum firmare poffint. Sed haec, me judice, defunt poftulata ex obfervationibus potius incaute et fine confilio factis, vel ex factis, inter fe haud bene junctis et collatis, quam ex eorum vera repugnantia. Quin et Fontanae experimenta, una cum quibufdam a meipfo, in hanc rem, de induftria, inftitutis, luculenter oftendunt omnes poteftates, (fed directe pro concentrationis ratione) mufculorum irritabilitatem exhaurire [b]; et, quod notatu dignum, five aucta five minuta, fit irritabilitas, modo ad id pervenerit, quod morbum facit, eadem faepe figna ex invicem producuntur. Etiamfi igitur, fimilia nonnunquam figna ex diverfis, imo faepe contrariis poteftatibus, et diverfa quoque ex fimilibus profluere videntur ; ratiocinatio tamen, fi legitima fit, caufas femper fpectare debet, et cura quoque medicorum huc praecipue dirigenda effet. Quoniam enim videre eft frigus fummum et magnus calor (vifu faltem) poft fe eundem trahere effectum, quoniam jactura aeque ac abundantia fluidorum comitem

[a] Vide La Motte Differt. Acad. An omnis morbus ex irritabilitate aucta vel minuta ?

[b] Experimenta curatorum felectorum apud Societ. Med. Reg. Ed. facta.

tem plerumque habent convulsionem, et syncope contrarios cerebri status comitatur [a], annon, dico, casibus similibus, judicium medicorum potius ex causis morborum remotis quam eorum signis ferendum est? Necnon ex vitae genere simul perpenso?

Ipsa quinetiam experientia hanc firmavit opinionem quoad nonnullos affectus, inflammationes videlicet imprimis, quae, etsi iisdem fere signis stipata, duplices tamen habentur, inque passivam idcirco et activam, discreti; diversam quoque medendi viam et postulantes et ferentes. Haemorrhagiae denique alterum praebent exemplum, et, ni fallor, alii bene multi hic pertinent morbi.

Eodem praeterea jure quo similes visu morbi, diversi habentur, eodem sane, visu diversi, similes habere possint. Nam, si haec opinio prorsus veritate caruerit, quomodo explicari potest remediorum quorundam efficacia generalis, quae cum tot variorum natura quadrant morborum, iisque quanquam aspectu diversis omnino medentur? Quot, viz. morbos non sanat ipse cortex? et quantis medetur morbis, etsi visu diversis, exercitatio, ut alia taceam exempla, vel mentis vel corporis? Quam maxime

deniquc

[a] Vide Drelincourtii Experimenta.

depique cavere debet inter ratiocinandum, ne effectuum ſimilitudo ſenſus noſtros decipiat, id quod praeſertim eventurum ſit quando hi effectus ſubito oriuntur. Quanquam enim fulguris ictus et venena quaedam non ſecus ac ſuffocatio mortem inferant; quanquam gaudium moderaminis expers, et ſummus terror mortales e vita ſubito corripiant, minime tamen colligendum eſt, has poteſtates eodem necare modo. Experimentis enim conſtat, irritabilitatem poſt terrorem ſuperſtitem a ſummo gaudio deſtrui.

Atque certum eſt, quaſdam poteſtates vi tanta adcumulata agere, ut ſubito animalis irritabilitatem tollant, adeoque ſedantia eſſe videantur, quanquam minori adhibitae doſi revera ſtimulare inveniantur. Hic quoque ipſum, ut opinor, ſpectat contagium, minus vero hoc certum eſt ex eo quod deſunt experimenta in hunc finem, rite inſtituta. Analogia vero adeo fortiter ſententiam noſtram firmare videtur, ut ejus veritate evictus, hanc tractaturus ſum diſſertationem.

Ex meo foret conſilio diutius immorari circa irritabilitatis quaeſtionem, ſed perſuaſum ſimul habeo, unicum exiſtere vitae principium, ad quod et ipſam ſenſibilitatem pertinere quam vero mihi ſimile videtur.

Hunc

Hunc morbum pro more academico tractaturo in animo eſt hiſtoriam prius depingere; dein cauſas et naturam indicare; poſtremo conſilia quaedam medendi proponere.

H I S T O R I A.

Morbus noſter ubique nimis frequens eſt, ſed maxime carceribus, claſſibus, locisque ſitu foedis, funeſtus et familiaris. Nonnunquam epidemicus obſervatur, et inter pauperes praecipue graſſans, ſed contagione plerumque propagatur. Symptomata quoque typhoidea multos praeterea morbos comitare ſolent, etſi minime eadem contagione ortos, uti morbillos, cynanchem, puerperarum febres, enteritidem, cum multis bene aliis, qui, (modo graves), eandem ſumere formam, et eidem plerumque praxi, verſus finem ſaltem, cedere obſervantur. Meo quoque judicio, omnes hujuſmodi morbi ad idem debent genus referri, utpote minus natura quam aſpectu diſcrepantes.

Emeritus

Emeritus noſter, et celeberrimus Cullenus, (quem defunctum ploret medicina), hanc accuratiſſimam morbi deſinitionem tradit: 'Morbus contagioſus; calor parum auctus; pulſus 'frequens, debilis, et parvus; urina parum mutata; Senſorii 'functiones plurimum turbatae; vires multum imminutae *.'

Morbi ſymptomata ordine fere ſequente oriuntur. Primum adſunt algores calore alternantes, mox juſta febre deſinentes; tum calor parum auctus, ſed conſtans fere et mordax quaſi exiſtit, nec frigus tam ſaepe excipiens. Cordis et arteriarum actio adeo in principio augetur, ut phlegmaſiarum naturam haud raro prae ſe ferre febris videatur. Paucos autem intra dies ſigna haecce in alia, debilitatem ſignantia, commutantur.

Languor nunc corripit artus, virium proſtratio et fatigationis ſenſus aegrum opprimunt. Motum averſatur, ſpiritus et pulſus celeres evadunt, inſigni comitante dejectione. Caput dolet, hebent oculi, et inquietudo accedit. Somnus inſincerus et phantaſmatis turbatus, vertigo demum et delirium accedunt. Cibi faſtidium, imo nauſea et ipſe vomitus nonnunquam ab initio vexant. Sitis quoque maxime urget, et nunc alvus adſtricta, nunc ſoluta obſervatur.

* Noſol. Method. inter pyrexias ſub Febrium ordine Gen.

Haec ſymptomata paulatim, ni morbo occurratur, ingraveſcunt, delirium magis conſtans premit, gemitus frequentes eduntur; ſubſultus tendinum et tremores nunc adveniunt. Lingua, quae primum albida et humidiuſcula, nunc ſicca, fuſca, et rimoſa conſpicitur. Pulſus quoque debiles et citatiores evadunt. Interdiu vero ſaepe remiſſio ſymptomatum accedit, etſi plerumque noctem verſus recrudeſcunt omnia. Noctes aguntur inſomnes, ſed coma perpetuum et anxietas magna aegrum laceſcunt. Nec amplius ſibi conſtat mens. Sub hoc ſtatu dentes et labia nigreſcunt arentque, et aeger flocculos ſtragulorum carpit. Viſus quoque et auditus, tum ſenſus omnigeni, ex parte ſaltem minuuntur; et animi deliquium a leviſſimo motu inducitur. Cutis plerumque arida eſt et calens; nonnunquam vero humida et ſudore obſita.

Pulſus denique adeo exiles et frequentes evadunt, ut vix numerari vel percipi poſſint. Dolores autem ſub hoc ſtadio miteſcere incipiunt, dum eos plerumque excipit torpor. Tendinum quoque ſubſultus, una cum tremoribus accedere ſolent. Veſicae etiam muſculi ſimul atque recti, cum aliis nonnullis, vim ſuam amittunt, nec ſponte redduntur aut faeces aut urina.

Haec ſunt quae morbus mitior ſigna ſecum plerumque adfert, donec comate indies creſcente aeger tandem e medio tollitur.

Morbus

Morbus vero ſaepe ab initio gravior eſt, et curſum ſuum, ſymptomatis funeſtioribus, citius abſolvens. Si enim contagium magis violentum, vel, quod eodem redit, ſi proclivitas major ſit, morbus dein acerbior non eſſe non poteſt, et funeſtior erit ejus caterva ſymptomatum.

Hoc caſu, una cum iis jam dictis, ſed citius, praegreſſis, adeſt foetor halitus, faecum et aliorum excrementorum; coma et delirium ab initio ſaepe adoriuntur; lingua maxime ſicca, et cruſtis foedata cernitur, maculae nunc varii coloris corporis ſuperficiem deformant. Haemorrhagia denique diverſis corporis partibus, nunc aperte epiſtaxim faciens, nunc occulto in cavis effuſae, et, quod ſaepius accidit, ſub cutem petechias efficiens, occurrit. Haec ſymptomata eo demum perveniunt, ut aeger, tantis impar laboribus fato ſuo ſuccumbat.

Varius autem eſt morbi curſus, nunc citius, nunc ſerius, ſeſe abſolvens, aliquando ad trigeſimum trahitur diem, aliquando ſexto finitur, ſed plerumque inter quatuor decem et viginti dies tenetur.

Qui hoc defuncti ſunt morbo varia exhibent phaenomena. Inteſtina nempe ſigna inflammationis, uti et meninges, haud raro praebent; nonnunquam etiam ſphacelum ipſum obſervatum eſſe,

teſtantur

teſtantur auctores. Sed omnia ſymptomata hujus inflammationis, una cum cauſis eam facientibus perpenſis, paſſivi eſſe generis indicare videntur.

C A U S Æ.

Semper apud medicos obſervatum fuit, alios homines aliis eſſe morbis magis obnoxios; de cauſis igitur opportunitatem vel proclivitatem facientibus medici ſemper egere; inter hos autem tam variae tamque contrariae enumerantur res, ut vel etiam ipſum judicium potius diſtrahere quam juvare videantur.

Quo igitur certior ſiat eorum operum notio, ſatius eſſe duxi, eos in duplicem ordinem dividere, in eum nempe qui contagionis ſuſcipiendae opportunitati, et in eum qui effectui ejuſdem favet; hinc ad priorem referuntur ordinem communiter omnes poteſtates ultra modum debilitantes, ſive haec ſtimulantes ſive ſedantes habeantur. Cutis enim, his caſibus magis bibula ſolito eſſe videtur, et ita potiſſimum ad contagionis abſorptionem promovendum aptior exiſtimanda. Hoc modo calor, ira, gaudium, crapulae, ebrietas, venus immodice culta, corporis et mentis fatigatio; item frigus, metus, terror, humorum jactura, pigrities, immundities, et victus parcus, &c. (quae et contrariae ſunt), ut

ut caufae morbi praedifponentes incufantur. Harum vero caufarum, etiamfi contagioni accipiendae aeque forfan favent, ejus tamen operi non nifi pofteriores, pro certo favere, videntur.

Hinc qui metu triftantur, vel male nutriuntur, morbum plerumque faeviorem patiuntur, et quanquam caufae praedifponentes diverfi effe generis videantur, opportunitas tamen aucta folummodo irritabilitate conftare credibile eft.

Hanc ob caufam, morbus inter pauperes, qui parciore utuntur victu, multo magis faevit quam inter eos lautiore vitae genere utentes, et variae quoque morbi fpecies, eandem forfan caufam, agnofcere invenientur, utpote videre eft idem contagium nunc graviorem nunc mitiorem, excitare morbum, ficut in variolis, fcarlatina, et aliis nonnullis, evenit morbis.

CAUSA EXCITANS.

Diverfi auctores diverfas tuentur fententias de caufa morbi excitante. Sunt qui frigus et pathemata incufant, alii, et aequiore, ut videtur, jure, unicam exiftimant caufam excitantem, contagium videlicet, vel effluvium humanum.

Inter auctores vero hanc amplectentes opinionem alia tamen diffentio eft. Contactum ipfum neceffarium effe ad morbum gig-

nendum

nendum quidam autumant, dum alii contendunt effluvia per auras dilata ad eum producendum valere. Sine dubio ipse contactus certioris effectus, esse habendus; sed plurima extant exempla, ubi nullus suspicari potuit contactus, etsi homines catervatim quasi morbo occubuere.

Philadelphiae memorabile accidit exemplum hujus generis. Vestimenta quaedam contagione imbuta, ex insula Barbadensi devecta, et dein ventis exposita ut perflarentur et exsiccarentur, morbum per urbem Philadelphiae longe lateque inferebant.

Cambden quoque alium memoriae prodidit exemplum, eandem rem comprobans, sed hoc jam omnibus adeo persuasum est, vix argumentis egere videatur.

In praesentia igitur liceat in contagionis agendi modo paululum immorari. Graves quidam auctores opinati sunt eam tanquam fermentum in corpus nostrum agere, et quoniam ex putrida constare materia censebant, sic fluida corrumpi et solvi, ejus opere credebant; recentiorum vero experimenta docent materias e putridis substantiis exhalantes tantum abesse ut corrumpant, ut corruptione quam maxime obstare videntur. Atque notum est homines inter res maxime putridas, diu posse versari, (ut qui rem faciunt anatomicam, qui coria curant, et laniones) etsi periculo immunes. Sed quomodocunque contagii effectus

pro-

produci dicuntur, certum eſt magnam ſemper debilitatem ejus actionem ſequi; et nunc inquirendum eſt an haec debilitas, maxima morbi pars, ex nimiâ ſtimulandi vi, irritabilitatem tollendo, vel e contra ſedandi nimiâ originem ſuam ducit. Graviſſima ſunt argumenta quae priori favent opinioni.

Imprimis omnes fere poteſtates, quae ſedantes habentur, vix aliud quam minor, cujuſvis ſtimuli noti, gradus eſſe videntur. Et omnes effectus ſedativi nuncupati ex privatione vel negatione ſolitorum ſtimulorum oriri quam vero ſimillimum eſt. Neque credibile eſt ullam poteſtatem adhiberi poſſe quae irritabilitatem aut diſpendio aut incremento non afficiat.

Ubi vero poteſtates irritabilitatem augendo, operam ſuam fecere, et actionem corporis ſublevarunt, aegrius poſtea, nec ſine periculo alii feruntur ſtimuli. Sed ubi poteſtates ſubito irritabilitatem demendo, et actionem tollendo, ſedare videntur, tunc proſunt et bene feruntur ſtimuli; an hic pertinet typhus ſatis edocet ipſa curatio. Quin et, ſi ſtimulos quoſlibet moderate exhibeas, qui alias, ſedantes prae ſe ferre videntur effectus, veri dein eorum effectus apparebunt, uti videre eſt in venenis, quae nimiâ ſumpta doſi maxime debilitant, ſed minore doſi pro excitantibus habentur, et idem dicendum eſt de vino aut alcoholi, vel ſpiritu ardente, ut ex graviſſima ill. Culleni au-

toritate colligendum eſt. En ejus verba: ‘ When alcohol is di‘ luted only with ſo much water that it can be ſwallowed, it ‘ ſhows the inebriating, intoxicating, and nareotic effects of ‘ other ſedatives. When taken in ſmall quantity, and much di‘ luted, it does not ſhew its ſedative powers; but, on the con‘ trary, it appears as a ſtimulant, cordial, and exhilarating li‘ quor *,’ &c.

Contagiones denique aliae, quae primo opere revera corpus excitant, (uti variolae, morbilli, &c.), nonnunquam tamen adeo vehementer agunt, ut cito vires exhauriant, morbumque typhum referentem, poſt ſe trahere obſervantur; et ipſum quoque typhum quibuſdam ſaltem regionibus phlegmaſiarum ſignis incipere notum eſt. Poſtremo, opportunitas ejus eſt generis qui ſtimulanti contagionis operi favet; et remedia ſunt quae obviam eunt exhauſtioni. His omnibus rite collatis et perpenſis, colligendum eſſe credo, typhi contagium quam maxime ſtimulantem praeſtare, minime ſedantem effectum.

CAUSA PROXIMA.

Quoniam mihi probabile videtur, tum morbum tum ipſam ſanitatem, diverſis ex irritabilitatis gradibus pendere, vitaeque phae-

* Treatiſe on the Mat. Med. p. 11. chap. vi. de Sedantibus.

phaenomena hinc poſſe deduci, nunc videamus quemadmodum morbus, de quo ſermo, his principiis explicare poteſt.

Obſervatione quotidiana docemur vitam animalium variis conſtare phaenomenis, et haec praeterea phaenomena, ita rebus incumbentibus variari poſſe, ut morbus vel ſanitas, quodam tenus, ad arbitrium quaſi produci poſſint. Res autem praecipuae vitam ſuſtentantes ſatis jam notae ſunt. Hinc fit eorum effectus, vel ſimul, vel per ſe, adjudicari poſſe, atque inter ſe ita comparari, ut ex his, aliorum effectus (analogiae regulam ſequens) deducantur.

Phaenomena vero, vel ſigna praeter naturam occurrentia, etſi morbos ſaepe declarant, raro tamen pro ipſorum cauſis proximis ſumenda. Si enim pro cauſis habentur, neceſſarium dein nexum inter primarium hocce ſignum et ipſum morbum, poni debet; ſed facile eſſet oſtenſu talia phaenomena potius effectus eſſe morbi ipſius quam ejus cauſas; et ſymptomata nunquam eo ordine aſſurgunt, ut haberi poſſint pro cauſis inſequentium ſignorum; ſaepe ſaepius enim accidit, et in omni fere morbo, ſpuria quaedam ſymptomata intercedere.

Quanquam igitur, congeſtio, ſpaſmata, diſtributio humorum inaequalis, cum ſimilibus revera locum habere, ipſoſque morbos

conſtituere ſaepe videntur, pro effectibus tamen morbi alterius, vel ſummae ſaltem opportunitatis exiſtimanda ſunt : Et ſi quando diverſa ab his oriuntur ſymptomata, ut ſaepe accidit quando cerebrum afficitur, novus dein morbus excitatur.

Quoniam vero quodvis incrementum vel decrementum irritabilitatis poſt ſe trahit ſua phaenomena, quid certius aut ſimplicius eſſe poteſt, quam ratio, hoc deducta fundamento. Quotieſcunque igitur de morbo quovis gravi quaeſtio fit, perpendentur quam ſedulo ejus cauſae, tam excitantes quam praediſponentes, et comparentur eorum effectus cum aliis jam notis ; ubi enim deeſt demonſtratio, analogia tantum ſequenda eſt. Si itaque phaenomena cujuſvis poteſtatis ignotae, inſtar aliorum, ad amuſſim notorum, inveniuntur, quid dicendum, niſi eoſdem eſſe utriuſque poteſtatis effectus. Quum autem talia oriuntur phaenomena quae principio detecto oppugnare, prima facie, videntur, haec non temere ad principium evertendum applicanda ſunt ; ſed iſtae potius cauſae quibus haec differentia conſtat, quam ſedulo debent inveſtigari [a].

His

[a] Lord Bacon.

His adductus principiis de febre typhoidea, (si tamen ex effectibus morbi et medendi consiliis dijudicare licet), colligendum esse credo,

Primum, causas morbi remotas in fibris systematis motricibus agendo, iisque potestatem qua stimulis obediunt tollent, ad morbum solummodo producendum valere.

2do, Proximam morbi causam solummodo petendam esse solido vivo animali, nec alia re quam minuta stimulis obediendi facultate, seu debilitate, constare.

3tio, Debilitatem inde ortam ex eo maxime provenire, quod vires animales vel irritabilitas, (propter nimium stimulorum opus potius quam eorum defectum), exhauriuntur.

4to, Symptomata inde provenientia ejus esse generis qui exhaustam irritabilitatem comitantur.

Quoniam vero aliae apud medicos, nec tam simplices, invaluerunt opiniones, proximum est ut has, vel praesertim eam, quae septicam fluidorum ponit naturam, infirmare tentemus.

Quando

Quando humores corrumpi dicuntur, necessaria oritur quaestio, quaenam sit natura fermenti istius, quod tot varios tamque funestos in corpore humano praestat effectus [a].

Valde imprimis dubitari potest, an unquam, vita superstite, fermentandi iste processus, (qui limites inter animatam et mortuam ponit materiam), revera necne obtineat; et ipsis praeterea sensibus quam maxime repugnat talis opinio. Nam si totus sanguis ita corrumperetur, perstante vita, quomodo explicari possunt graves isti effectus qui nonnunquam ex noxiae cadaverum materiae, inter dissecandum, insitione, vel levissima quantitate, oriuntur?

Omissis vero hujusmodi argumentis, nullae adhuc notae sunt potestates, vi adeo septica pollentes, quae ipsam inferre possint tam subito dissolutionem. Potestates quae tali vi agere videntur vivis animalibus, contrarium prorsus effectum in carne mortua praestant; viceque versa. Sic aer purus, qui extra corpus processui fermentandi adeo favet, morbis tamen putridis, qui, dicuntur, occurrit, et aer fixus qui extra corpus, putredini obstat, pulmonibus tamen receptus exitio est, quod brevi excipit putredo. Idem dicendum est de spirituum ardentium usu qui subito

[a] Vide Milman passim.

ſubito et immodice ſumpti lethiferi ſunt, putredinem inducentes, etſi mortuo jam carne quam maxime putredini obſtant.

Iterum, ſi corpus, dum vivitur homo, revera putredini daretur, uſitatiora ſaltem phaenomena hujus proceſſus adeſſe expectanda forent. Ubi vero aëris extricatio, et quare non inflatur tela celluloſa? Ubi aëris puri diminutio, et quamobrem homines adeo celeriter putreſcunt poſt venenum aſſumptum? Vel unde ſymptomata putrida quae tot varios comitari ſolent morbos contagioſos, ſi ex eodem fermento corruptio pendebat?

Argumenta jam prolata, ni fallor, ſuum pondus habent; ſed alia trahenda veniunt ex aſpectu ipſius, ut fertur, humoris putreſcentis.

Primo notum eſt, ſanguinem aliquo modo corruptum, vix coire poſſe; patet vero ex obſervationibus clariſſimi Lind, ſanguinem ſcorbuticis detractum, non ſolum coire poſſe, ſed et firmiorem, ſolito exhibere cruſtam.

Eadem obſervatio pleniſſime ſtabilitur, clariſſimis viris Rouppe, Poupart, aliiſque. Quoad morbum denique noſtrum, nec deſunt eadem ſigna; nam ſanguis, aut caſu, aut conſilio miſſus, teſtante Sydenham aliiſque, plurima fluidi vitalis ſigna, dediſſe obſer-

obſervatur; et multi ſunt auctores, qui ſe vidiſſe ſanguinem coagulatum in typho declarunt.

Sed omnium argumentorum qui contra ſepticam adducuntur doctrinam, validiſſima ſunt ea quae ex natura antiſepticorum remediorum profluunt; medicamenta enim ſub hac claſſe enumerata adeo varia adeoque diſſimilia exiſtunt, ut ipſas potius movere quam ſolvere lites plane confiteor.

Objectio prima ex eo venit, quod materiae, viribus antiſepticis praeditae, haud copioſe ſatis exhiberi queant, ut talem fluidorum efficerent mutationem qualem expectandum foret, ſi juſta fuerit hypotheſis. Cui enim credibile videatur, grana quaedam cujuſvis materiae, (puta camphorae), in fluidis noſtris ita agere, ut totam molem, jam corruptam edulcorare vel ei integritatem reſtituere poſſint? Et quare non ipſis potius vaſibus injiciantur talia medicamenta, quum conſtat omnes fere materias non tales fluidis noſtris exiſtere, quales ventriculo ſumptas?

Altera objectio ex pathematum deducitur effectibus; vix enim credendum eſt haec, inſtar chemicae cujuſvis materiae agere poſſe; ſed valde nihilominus in morbis, qui putridi habentur, proſunt. Neque praetermittenda ſunt quae, inter ſe pugnantia, in typhi curatione et ſcorbuti obſervantur. Hoc enim morbo

que

quo ex integro fluidi corrumpi dicuntur, validiora nocent antiseptica, dum illo debiliora prosunt. Cortex enim, opium, et cardiaca, qui vix insigni virtute antiseptica pollent, typho magis occurrunt quam medicamenta insigniori vi praedita, sed nocent scorbuticis.

Tertia objectio ex falsa, qua usi sunt illi medici, analogia oritur; nihil enim inter mortuam vivamque materiam commune.

Experimenta et observationes variorum hoc satis evincunt. Potestates enim extra corpus putredini obstantes, intus tamen sumptae eam promovere inveniuntur; et vice versa. Dr Milman plurima refert exempla hujus generis, et unum praesertim mulieris, quae scorbuto laborabat, ex theae usu: Huxham quoque similia refert exempla ex lithontripticorum et salium alkalinorum usu. L' Abbe denique Fontana experimentum habet, quo sanguis coagulatus fuit intra vasa, sed eodem veneno extra vasa tentatus, coagulationi obstitit.

PROGNOSIS.

Judicium tam hujus quam similium morborum ex signis virium dispendium designentibus, trahendum est; sed raro uni vel

alteri

alteri per ſe ſymptomati fidendum eſt; neque criſis, ut in aliis nonnullis febribus, expectanda; tranſitus enim ex morbo in ſanitatem adeo lente fit, ut difficillime cernatur.

Quibuſdam auctoribus petechiae inter ſigna lethalia habentur; ſed obſervationes experti Lind ſatis commonſtrant, quam varium ſit hocce phaenomenon. 'Aegrotantes,' inquit, 'his 'obſiti maculis vix in noſocomium recepti fuerunt, et leniter re'fecti, quin cito diſparuerunt petechiae, et nonnunquam poſt 'vini cyathum iis omnino caruere teſtabatur.' Surditas quoque infauſtum exiſtimatur ſignum a nonnullis. Sed clariſſimus noſter Home longe aliter hoc ſymptoma accepit; et idem fere dicendum eſt de quovis alio ſymptomate ſingulo.

Quae vero periculum ſimul denotant, haec ſunt coma et inſenſibilitas gravis, oculorum fixitas acieque carentes, facies Hippocratica, manus trementes aliquid carpentes, una cum pedibus frigentibus. Petechiae, haemorrhagiae, et faeces halituſque olentes; ſphincterum relaxatio, animus ſui non compos, ejuſque ex motu leviſſimo, deliquium et perſtans delirium: Pulſus citatiſſimi et evaneſcentes.

Quo pauciora, eo facilius, quo plura horum ſymptomatum ſimul, eo difficilius morbus judicandus.

MEDENDI

MEDENDI METHODUS.

Medici, pro caufa quam amplexi funt proxima de morbo, varias propofuerunt medendi rationes, praximque diverfam. Alii dum naturae molimina et conamina expectant, in pejus ruere omnia finunt; et alii, dum fanguinem incaffum corrigere volunt, tempore illuduntur, aegrifque faepe illudunt.

Theoriae vero quae his favent opinionibus minus effe probabiles videntur; et, fi caufae fupra memoratae verae habeantur, quod et ipfa praxis vero fimilius reddit, fimplex inde oritur, et unica indicatio curatoria, obviam videlicet ire debilitati.

Quoniam vero aucta ubique virium incitatio nonnunquam, primis morbi ftadiis, fefe manifeftat, remedia igitur, ineunte morbo, diverfa ab iis, quae provecto conveniant, effe debent. Hinc diluentia et quae refrigerare dicuntur, non fine beneficio in ufum vocari poffint. Emetica quoque recenti morbo quam maxime prodeffe conftat, et omni nifu tentandum eft, his rationibus morbum inter initium praecidere.

Excretiones primam curam noſtram ſibi debent vindicare. Alvus adſtricta ſolvenda, ſoluta compeſcenda eſt ; cutis etiam, quantum fieri poteſt, humida ſervanda, nec non lingua aſſidue humectanda, aut acidis mineralibus aut vegetabilibus ; his et ſimilibus pro more ſolito ordinatis ; omnis dein cura ad vires ſuſtentandas dirigenda. Nam meum hic eſt, ea potiſſimum remedia, quae morbo jam provecto quadrare magis videntur enumerare, utpote tempus, quo mitiora profutura eſſent remedia, jam ante plerumque illapſum eſt, quam medicus advocatur.

Opium.—Vix opus eſt ut argumentis utar, cur de hoc primum agitur medicamento. Plurimae vero cauſae ejus uſui adhuc obſtiterunt, quarum praecipuae fuerunt praejudicia quaedam de veris ejus effectibus. Quamvis enim multi ſemper auctores de ejus virtute teſtimonia tulerint, medici tamen vix auſi ſunt eo libere uti, donec praxis celebrium virorum, Doctorum Gregory, Gilchriſt, Wall, Campbell, ejus efficaciam amplius teſtabatur. Nunc vero inter cardiaca palmam ſibi aufert [a].

Moſchus, camphora, caſtoreum, et ſimilia, ad eandem pertinent claſſem et aliquando etiam uſurpari poſſint, ſed virium ſunt minus inſignium.

Cortex

[a] Leigh on Opium, and Tralles de ejuſdem Uſu.

Cortex Peruvianus.—Usus quoque hujus remedii non nisi recenter satis fuit probatus. Peritissimus ipse et sagax medicus, Doctor Clarke, inter primos fuit, qui efficaciam ejus latiore basi stabilivit; et nunc adeo notae est efficaciae, ut plurimi medici ad eum quamprimum recurrant, ne remissione, vel intermissione quidem expectatis.

Illustris Pringle, candide fassus est, hoc remedium, post experimentum factum, totam suam praxin mutasse; dum enim plurimos incassum tractavit aegrotantes ope contrayervae, et aliorum antisepticorum, pauciores multo corticis usu, amisit.

Vinum,—Plurimas ob rationes hoc praestantissima inter remedia revocandum. Palato imprimis et ventriculo admodum gratum est, et nocivis aliorum quorundam effectibus caret; sed inutile foret de virtutibus ejus plura dicere, utpote quae omnibus satis innotescant.

Quoad modum administrandi, is potior esse videtur, qui repetitis et parvis dosibus constat, quam raris et plenioribus.

Plurima adhuc ejusdem generis remedia enumerari potuissent. *Aether* aliquando, testante Hoffmanno, optimum facit medicamentum, praesertim vero si opio conjunctus, ut clarus Wall expertus est.

Quoad

Quoad haec omnia cum aliis id genus remediis obſervandum eſt, eorum effectus pro vario, fibrae muſcularis, ſtatu variare; ne igitur mecum repugnare videar, ſubjicere liceat eas poteſtates quae, ſana fibra, irritabilitatem minuunt, tantum abeſſe ut magis imminuant, ut plane reſtaurare inveniantur ſi jam exhauſta ſit fibra muſcularis. Sic itinere feſſus et ſomnum capturus, brevi excitatur poſt vini aut cereviſiae hauſtum Londinenſis. Eadem vero cereviſia, alio tempore hauſta, pro ſomno eſt. Complurima ſunt hujus generis exempla, et operae forſan pretium fuiſſet experimentis vel obſervationibus ſtabilire, qui ſecuturi ſunt effectus, ex diverſis Materiae Medicae poteſtatibus in diverſam irritabilitatem agentibus.

In hanc proſequendam rem ſequens aut ſimilis methodus inſtitui poteſt,

Fibra	Irritabilis,	Stimulo quovis adplicato, puta vinum, dat,	Citam exhauſtionem,	ſuis quibuſque phaenomenis.
	Tonica,		Auctam incitationem,	
	Excitata,		Tardam exhauſtionem,	
	Exhauſta,		Tonum. Cum	

Et ſic, variante quoque ſtimulorum ratione, relativi eorum effectus, nam relativi ſunt plerumque habendi, inveſtigari poſſunt.

Antimonialia.—Etsi optimo cum fructu haec nonnunquam usurpare possint, in primis praesertim morbi stadiis; multa tamen argumenta sunt qui eorum usu stadio provectiore obstant. Nemo enim inficias ibit, quin administratio repetita, et dosi nauseam moventi vires ulterius frangat, quae nimis jam fractae sunt. Hanc ob rem, Doctores Blane et Campbell, minus ejus viribus confisi, protractam morbi curationem saepe ejus usui tribuerant, et meliore cum fructu, modo opio juncto plerumque eo usos esse, declarunt.

Vesicatoria.—Haec magnopere prosunt quando grave delirium aut coma premunt; et eodem redit sinapismorum nec non pediluvii usus. Immundities denique omnis quam assidue vitanda aut amovenda est. Si aegri quoque lectus vel cubiculum commode mutari possunt, suo haud caret beneficio.

Postremo, aëris temperies modica servari debet, et quo purior eo melior.

Haec sunt quae mihi hunc morbum contemplanti, legibusque academicis quanquam invito obtemperanti, sese obtulerunt; quoniam vero singuli casus aliquid sibi proprium habent, curamque specialem aliquo modo postulant; sic praxis mutabilis esse debet, et pro symptomatum varietate mutanda et accommodanda.

commodanda. Sed limites dissertationum inauguralium praescriptos, si has singulatim prosequerer, excederem: Quin et medici judicio vel experientiae tutius erunt linquenda.

F I N I S.